



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 13. Borbonius in Urbis invasione occisus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæcul. XVI. A.C 1527. tim Germani, partim Itali in monte Janiculo prope portam S. Pancratii urbi inferebant. Admoventur itaque mœnibus scalæ circa horam diei sextam eodem tempore, quo caligo, quam effuderant montes, proximum quemque, etsi quarto duntaxat passu distaret, conspici prohibuit.

## §. XIII.

*Borbonius in Urbis invasione occisus.*

*Paul. Jov.  
de expugn.  
Roma.  
Guicciard.*

Romani urbem invicta prorsus virtute tuebantur, nec faustis primis obsessorum auspiciis defuit eventus; cum enim Cæsareæ legiones confertæ, & quasi cohærentes starent, tormenta, quæ ex arce S. Angeli explodebantur, ingentem eis stragem inferebant; insuper Rentius Ceres, cui præcipua urbis propagandæ cura erat commissa, præter recens conscriptos, etiam veteranos milites, numero licet paucos in mœnibus collocabat, qui provolutis ingentibus faxis, trabibusque oppugnatores unacum eorum scalis protriverunt. Accurrerat Borbonius, ut suos animaret, ipsisque viam ad urbem ostenderet, quinimo ipse scalam muro admovens, suos contentiori voce hortabatur, ut & ipsi Ducis sui exemplum sequerentur.

Verum

Verum vix hæc effatus, sclopeto in fe- Sæcul. XVI.  
mur ad inguem ictus in fossam cecidit, A.C.1527.  
atque ad castra delatus ibidem eodem  
ferme momento animam exhallavit,  
ætatis suæ anno trigesimo octavo non-  
dum emenso. Corpus ejus delatum  
fuit Cajetam in Neapolis Regnum, ubi  
hodiedum sepulcralis ejus inscriptio (\*)  
Hispano idiomate expressa legitur (\*\*).  
Eodem

(\*) Hoc Epitaphium Hispana lingua scri-  
ptum sic sonat: *Francia me diò la leche, Es-*  
*panna suerte y ventura, Roma me diò la me-*  
*certe, y Gaeta la sepultura*, latine vero ita red-  
di posset: *Francia dedit mihi vitam, Hispania*  
*sortem & fortunam, Roma dedit mortem, &*  
*Cajeta sepulturam.*

Aliud insuper latino idiomate exarratum  
legitur hoc tenore:

*Aucto imperio, Gallo victo, superata Italia,*  
*Pontifice obseffo, Roma capta, Carolus Borbo-*  
*nus hic jacet.*

(\*\*) Singulare est, quod Borbonii morte  
Heuterus lib. 9. c. 7. his verbis refert: *Obve-*  
*nit illi mortis genus, quod sibi ipsi ante pau-*  
*cos menses fuerat imprecatus. Cum enim Me-*  
*diolanenses miseris suis remedium precarentur,*  
*pollicetur se exercitum Urbe educiturum, si in*  
*spendium triginta millia aureorum nummum*  
*contulissent: quod quamquam exhaustis difficilli-*  
mum

Sæcul XVI

A C. 1527

Eodem fato Borbonii Ducis Armiger Brideus nomine penes Dominum suum occubuit. Ceterum Borbonius Patrem habuit Gilbertum Montpenserium, qui Neapolis Regno pulsus captusque, Puteoli extremam clausit diem. Anno Christi millesimo quingentesimo quinto die decima Maji uxorem duxerat Sufannam, quæ unice filia, & hæres Petri II. Borbonii Ducis, & Annæ de Francia Anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo primo die vigesima octava Aprilis vivis erepta est, postquam tres filios genuerat, qui tamen omnes teneris adhuc annis obierunt, unde Borbonio Patri nulla proles vita superstes relicta fuit.

## §. XIV.

---

*num erat, facturos tamen se recipiant, si non ut alias sæpe, fides falleretur. Tum Borbonius: si id (inquit) fecero, prima peto mihi pugna hostilis tormenti globus vitam eripiat. Accepta pecunia fidem Mediolanensibus violavit, ac prima post id tempus pugna, quæ ad mœnia Romana fuit edita, tormenti hostilis globo trajectus occubuit. Confirmat hoc Guicciardinus lib. XVII pag. 675. Haraeus ad a. 1527. Belajus lib. III. pag. 88.*